



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. I. Aliqua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

quia vix aliqua est opinio; quæ non sit aliqui probabilis; immo probabilior, aut moraliter certa; (juxta axioma, Nulla fœditas sine Patrono) & sic omnia sequi possemus. At hoc nos non dicimus, quin volumus evidentem esse debere probabilitatem opinionis, juxta quam quis operari velit: evidentia autem probabilitatis importat, ut opinio non tantum sit probabilis suis Patronis, sed etiam Adversariis. Lege quæ dedi *disp.* 15. n. 186. ubi etiam dixi, cur, etsi non liceret operari cum judicio reflexo de probabilitate, stante simul cum directo de falsitate opinionis, adhuc tamen licitum sit cum solo reflexo operari, secluso omni directo.

S E C T I O III.

Argumenta P. Doctoris Thyrsi.

§. I.

Aliqua.

S U M M A R I U M.

Arguit, quia judicium reflexum non est regula formalis applicans objectivam, n. 78.

In isto in judicio directo subjectivè probabiliori, quod est etiam indifferens, ut sit falsum, n. 79.

Judicium reflexum, etsi nullam Dei legem directam applicet, applicat reflexam permittentem operari sub judicio reflexo, n. 80.

Ratio, n. 81.

Ejus contradictio, n. 82. 83.

Arguit, quia hoc principium: Nemo potest licite sequi minus tutam contra legem, quin prius judicet esse veram: defenditur ab omnibus, n. 86.

A P. Esparza, & Adriano, n. 87.

A P. Terillo, n. 88.

A Navarro, P. Junio, P. Scildere, P. Suarez, & alijs, n. 89. 90. 91. 92. 93.

Nullus Antiquus hanc questionem ex professo agit: imò nostram sententiam plerique supponunt, n. 94.

Difficultas agitata est de necessitate judicii reflexi evidenter, aut certi de licito usu æque, aut minus probabilis; non vero, an satis sit reflexum de certâ probabilitate, aut probabilioritate, suspensio directo, n. 95.

Nullus est Theologus, qui sepe non resolvat questiones directas pure reflexe; imò ipsimet Adversarij, ibid.

Nullus citatus consentit cum P. Thyrsi, n. 96.

Ostendo, ibid.

Quin repugnat, ut quis sibi probabiliorum judicet firmiter verum, ibid.

P. Suarez aperte sentit oppositum, n. 97. 98.

Idem dico de P. Scildere, n. 99.

Idem de P. Valent. Adriano, P. Terillo, n. 100.

101.

Aliud est, quod DD. requirant judicium certum verum de non peccato, ne quis peccet, quod verum est; aliud, quod hoc debeat esse directum, quod falsum est, n. 102.

Immo implicat, ut probabilius directum sit certum, n. 103. 104.

Arguit 1. *disp.* 7. à n. 51. Illicitum est operari sine bona fide; ergo sine judicio directo. Consequentia probatur; quia judicium reflexum certum de probabilitate non est regula formalis applicans objectivam, quæ est lex Dei; nam per hoc quod judico, certò probabile esse contractum licere, non applico legem Dei de licentiâ contractus, quia omne certò probabile est indifferens ad legem de licentiâ, & de non licentiâ contractus; quomodo verò quid indifferens potest esse regula formalis, aut bona fides?

Respond. concessio antecedenti, negando consequentiam; quia ipsum judicium evidens de probabilitate licentiæ contractus est bona fides. Ad probationem dico prius, totum hoc ab eo solvendum, nam in isto in judicio directo subjectivè probabiliori, quod quis affirmat, *Contractus licet*, hoc enim est prorsus incertum de veritate licentiæ; nec est necessariò connexum cum veritate objecti à se enuntiati; nam ex judiciis directis subjectivè probabilioribus inter se contradictibus tot sunt falsa, quot vera; ergo per hoc, quod judicium illud directum subjectivè existens sit probabilius, non sequitur esse verum: ergo potest esse falsum, quod contractus liceat, etsi probabilius asseratur licitus: ergo cum judicium subjectivè existens, etsi probabilius, sit indifferens ad verum, & falsum, ut sunt in re, non poterit esse regula formalis applicans legem Dei de licentiâ.

Deinde dico, quod judicium reflexum certum de objectivâ probabilitate licentiæ contractus applicet legem Dei reflexam permittentem omne, quod est evidenter objectivè probabile practice. Quod si ab Adversario hæc voluntas permissiva in Deo negatur, probet nobis dari in Deo legem verantem contractum, quem reflexè judico evidenter, esse probabiliter licitum. (Quamvis ergo illud judicium reflexum evidens de probabilitate licentiæ nullam legem Dei directam applicet; & ex hoc titulo dici possit indifferens, quia cum lege nullâ Dei directâ volente, aut permittente contractum unitur; attamen applicat legem Dei, quam voco reflexam;

flexam; & non est indifferens applicare hanc legem Dei reflexam permittentem libertati humanæ omnem contractum, quem vir prudens evidenter judicat esse objectivè probabiliter licitum, suspenso omni judicio directo, tam de licentiâ, quàm de non licentiâ contractus, ut est in re. Sanè si judicium directum subjectivè probabilius, quod toties potest esse falsum, quoties verum, cum inter judicia probabiliora contradictoria tot sint falsa in re, quot vera in re, est regula formalis excusans à peccato; multo magis solum judicium reflexum evidens de objectivâ probabilitate, aut probabilioritate erit etiam recta regula, & Divini luminis participatio.

N.
81.

Ratio à priori est; quia tota perfectio, quam haurit judicium subjectivè probabilius, haurit à suo motivo, seu à præponderantiâ motivi: si ergo tale motivum, ob quod licentiâ affirmatur, dat judicio subjectivè probabiliori esse regulam formalem; cur idem motivum præponderans affirmatum evidenter per judicium reflexum evidens de suâ perfectione permittere non poterit huic judicio reflexo rationem regulæ? Idem, paucis mutatis, dico de judicio reflexo evidenti de minori, certâ tamen probabilitate objectivâ. Si enim, juxta Probabilitas, judicium directum subjectivè existens, minus, certò tamen probabile, potest esse regula formalis; cur non etiam judicium reflexum evidens de eâ minori, certâ tamen objectivâ probabilitate licentiæ, poterit esse regula formalis?

N.

82.
P. Thy.

Addo P. D. Thyrsium sibi met contradicere; nam *tom. 3. Select. disp. 36.* agens de moribundo, qui nullum doloris signum dedit, etsi neget esse absolvendum, attamen ob DD. auctoritatem docet, quòd in dubio illo negativo possit absolvi; & ideo *n. 56.* ait: Prima opinio speculativa exiguum habet probabilitatem: cæterum hæc exigua probabilitas sufficiens fundamentum est, ut quis judicet se posse licitè impendere abolutionem tali moribundo sub conditione; ac proinde hæc opinio practicè probabilitatem habet. Hæc P. D. Thyrsus.

N.
83.

Ecce 1. qui negaverat deponi posse practicè probabiliorem, & licitum sequi oppositam, modò docet eam deponi posse, & hanc assumi. Ecce 2. qui negaverat licitum operari sine judicio directo probabiliori, & licitè assumi directum minus probabile, concedit modò utrumque, nempe, quòd Confessor tunc judicet veram opinionem minus probabilem de licitâ abolutione moribundi, qui nullum doloris signum dedit; vel si

Confessor hoc judicium de ejus opinionis veritate suspendat, concedit, quòd licitè cum moribundo absolvi possit, dummodo judicet probabilem opinionem hoc affirmantem. Ecce 3. absolute concedit, licitè cum moribundo absolvi, etsi judicet opinionem affirmantem esse minus probabilem; ergo si absolutio licitè impenditur et moribundo, formato judicio reflexo de probabilitate opinionis hoc affirmantis; (imò cum judicio directo de falsitate opinionis hoc affirmantis, nam dixerat eam esse parum probabilem, & negandam abolutionem) quanto magis omnis alia operatio licita erit, si sequatur ad judicium certum de probabilitate veritatis opinionis, & honestatis operationis?

Hinc præter dicta à nobis, allata ex *Sele. N. 81.* P. Thyrsi doctrina non coheret cum illa, quam hic tradidit *disp. 1. num. 36.* ubi ait, quòd minus tuta apparere debeat clare, & sensibilibus verosimilior operanti, quam opposita; atque hæc de causa judicetur ab ipso vera, judicio absoluto, & determinato, quòd licet non sit moraliter certum, nec omnem formidinem excludat, hæc tamen exigua tantum sit, quæ per reflexionem possit prudenter tamquam scrupulus expelli. Subdit: Propter hoc firmiter judicavi opinionem minus tutam, etsi certo probabilem, assumsi tantum posse, ut regulam secundariam licite operandi ab iis, qui eam approbant ut veram; non autem ab iis, qui illam reproband, aut reprobare possunt, ut falsam. Similiter subdit, sibi certum esse, non satis esse ad conscientie securitatem judicium reflexum de probabilitate opinionis aliene minus tutæ, etsi moraliter certum, nisi simul adit judicium saltem opinativum inculpate conceptum ab operante, de veritate opinionis minus tutæ. Hæc P. D. Thyrsus.

Combinet Lector hæc cum illis, quæ *Sele. N. 82.* tulit ex *Selectis*, & videbit, quòd in *Selectis 83.* dicat, satis esse ad dandam abolutionem judicium reflexum de probabilitate veritatis opinionis tuentis licitum esse cum moribundo absolvi: hic autem docet necessarium simpliciter esse judicium directum de veritate, ut quis opinionem aliquam sequatur. Combinet secundo, quòd hoc dicit sibi certum esse, cum tamen in *Selectis* teneatur oppositum. Combinet tertio, quòd iure dici possit, quòd judicium, etsi probabilius, sit absolutum, & determinatum de veritate, cum quilibet sciat, eo ipso quòd alii judicent, oppositam ut probabiliorem, sequi posse, quòd judicium mihi probabilius sit falsum, ac mihi falsum est judicium aliis probabilius;

lius; non enim per hoc, quod iudicium illud sit meum, sit verum. Combinet quartò, quomodo iudicium opinativum, etsi inculpate conceptum, possit esse absolutum, & determinatum de veritate, cum omne iudicium opinativum sit de veritate incertum. Combinet quintò, qualiter per reflexionem formido falsitatis de meo iudicio mihi probabiliori expelli possit tamquam scrupulus: quàm enim ratione scrupulus vocetur ea formido, quæ oritur ex evidentiâ, quod inter iudicia probabiliora, etsi una uni, alia alteri, invicem contradicentia, tot sint falsa, quot vera? Vt ergo iudicio esse mihi falsum iudicium aliis probabilius; cur saltem, si non iudico meum mihi probabilius esse falsum, cur, inquam, non possum prudenter formidare de falsitate mei iudicii mihi probabilioris? Omitto alia.

N. Arguit 2. *disert.* 8. à n. 13. quod hoc principium, *Nemo potest licite sequi minus tutam contra legem, quin prius iudicet esse veram*; hoc, inquit, principium defendatur à ferè omnibus T.T. etiam Probabilistis tamquam verissimum.

N. Primò enim P. Esparza *art.* 140. ait: Nemo potest uti opinione, quam non habet; unde ut quis utatur opinione asserente aliquid esse licitum, eamque in praxi sequatur, debet prius illam facere suam per assensum: & *art.* 143. & 186. idem P. Esparza censet esse ab Adriano planè demonstratum, quod ut quis sequatur minus tutam, non satis sit iudicium reflexum probabilitatis quantacumque, quia voluntas appetit objectum secundum se, non ut præcise determinatum ab alienâ cognitione præsertim falsâ; & actus voluntatis specificantur ab objecto, non ut proposito per cognitionem alienam, sed per propriam, eandemque directam, non reflexam, *qua nisi putet objectum esse licitum*, ait P. Thyrsus n. 14. nullâ reflexione excusabitur operans.

Adrian. Secundò citat P. Terillum *qu.* 22. de 88. *Consc.* n. 1. qui, ait P. Thyrsus d. 14. statuit tamquam primum principium, quod ut quis rectè operetur, non satis sit, quod quis sciat sententiam benignam esse probabilem, aut probabiliorē oppositâ; nam, stante toto illo, (ait P. Terillus) potest omne absolutum de rei veritate iudicium suspendi, & homo dubitare potest, an res sit licita, necne. Jam si quis in tali dubio sectetur minus tutam, indubitanter peccabit, non obstante maiori probabilitate partis, quam sequitur: ut ergo excusetur, debet formare iudicium, quo absolute credat opus illud esse licitum.

N. Tertiò citat Navarrum in *Manuali cap.* 89. *P. Thyrs.* licitum.

27. *Miscell.* 6. quæ opinio eligenda n. 228, dicentem: Iudex, Consultor, aut Agens, qui in re dubiâ iudicaturus, consultaturus, aut facturus est aliquid, antequam id faciat, debet, ut non peccet, expellere ex animo illam dubietatem, & credere, aut certè opinari, opinionem dicto modo electam esse veram.

Quartò citat P. Junium Tom. de *Consc.* N. *sect.* 3. dicentem, ad rectè operandum non 90. satis esse, ut quis sciat dari talem opinionem P. Jun. probabilem, quod res sit licita; sed requiri, ut talem habeat opinionem.

Quintò citat P. Scildere, qui *tom.* 2. à n. N. 25. latissime hoc probat; & præter adductos, 91. ait P. Thyrsus, quod P. Terillus *qu.* 22. n. P. Thyrs. 40. fateatur stare pro hac sententiâ omnes Antiquos T.T. quia illi ad usum partis minus tutæ exigebant, tum quod esset probabilior, tum quod iudicaretur vera.

Sextò citat P. Suar. *disp.* 40. de *Censuris* N. *sect.* 5. n. 12. volentem, quod ad dubium speculativum sequatur practicum, quod non P. Suar. tollitur, nisi prius auferatur dubium speculativum: sed dubium speculativum, ait P. Thyrsus, non auferitur, nisi per iudicium directum: ergo semper requiritur iudicium directum. Rursus idem P. Suar. *lib.* 6. de *Legibus cap.* 8. n. 6. docet, quod subditus probabiliter iudicans cõtra opinionem Prælati, rem præceptam esse illicitam, debeat suum iudicium deponere, & formare iudicium oppositum, & esse communem doctrinam, & in praxi necessariam.

Demum citat P. Valen. *tom.* 3. *disp.* 5. *pun.* N. 4. §. *Altero modo*, P. Palao *disp.* 4. de *Consc.* 93. *cap.* 2. n. 4. P. Sanch. *lib.* 1. *Sum.* *cap.* 9. n. 40. P. Val. P. Bardi *discept.* 4. *cap.* 27. n. 40. (etli P. Sanch. P. Palao & P. Bardi sustineant etiam oppositum) P. P. Sanch. Junium *l.c. cap.* 2. quem ait recitare innumeros, & n. 12. subdere: Ergo non alii mihi contradicunt, quàm qui vel adversantur sibi, vel censent licere etiam positive sequi alienam opinionem contra propriam practicam perseverantem: illi autem sunt paucissimi, quibus pro me oppono reliquos omnes. Hæc P. Junius: & hæc quoque ex citatis DD. ad eruditionem P. Thyrsus.

Sed contra i. quia offendat mihi P. Thyrsus vel unum Doctorem, qui ex professio 94. hanc difficultatem tractaverit: An satis sit P. Thyrs. iudicium reflexum evidens de probabilitate, aut probabilioritate veritatis opinionis, & honestatis actionis, suspensio prorsus omni iudicio directo de opinionis veritate, & operationis honestate, ut rectè operemur. Sanè nullum dabit, nam non nisi P. Eliz. P. Mun. P. Palanc. P. Thyrsus, & Fogarinus ex plurimis, Fogar.

plurimis, quos evolvi, difficultatem hanc ex professo discutunt, & negant. Reliqui autem Doctores contrarium potius supponunt ut verum, quam probent; immò adeo verum supponunt, ut non tantum hoc ipsum in dubium vocent, & nullum de eo dubium moveant, quin, ut fufè *disp. 22. per totam*, vagando per omnes Scholas, & Ordines, & classes, & nationes, ostendi, quòd fæpiissime resolvant quæstiones per solam probabilitatem, aut probabilioritatem, vel honestatis, si quæstio sit practica; vel veritatis tantum, si quæstio sit purè speculativa.

N. 95. Difficultas, quam agitant, est, an necesse sit, ut iudicium directum subjectivè existens sit probabilius, an satis quodlibet certò probabile practice. Rursus est, an præter tale iudicium directum, necessarium sit aliud reflexum certum de licentiâ sequendi probabilius, aut quodlibet certò probabile. Cum enim nulli directo iudicio, etsi probabiliori, subjectivè existenti, insit certitudo veritatis opinionis, & honestatis actionis, hinc recurrunt ad certitudinem iudicii reflexi de licito usu opinionis probabilis, aut probabilioris, prout quisque iudicat; quod iudicium reflexum volunt esse ultimum, & proximum conscientie dictamen. An verò satis sit solum iudicium certum reflexum de probabilitate, aut probabilioritate objectivè veritatis opinionis, & honestatis actionis, suspensio omni prorsus iudicio directo subjectivè probabili, aut probabiliori? Nullus ex professo ex Antiquis hoc discutit: immò, ut dixi, adeo indubitatum supponunt, quòd sufficiat, quòd vix ullus sit Doctor, qui aliquando non resolvat quæstiones per solam probabilitatem, aut probabilioritatem objectivam, sive veritatis, sive honestatis, suspensio omni directo subjectivè probabili, aut probabiliori; & quod caput est, iidem Probabilioristæ, qui modò negant satis se solo esse iudiciū reflexum certum de probabilioritate sine directo, iidem, inquam, suimet obliti, sepiissime ad solum reflexum de probabilioritate objectivè appellant, suspensio omni directo, ut ostendi de Card. Aguirre, de P. Thyrsio,

C. Aguirre.
P. Mon. de P. Muncif. & aliis. Et quotquot sive
P. Thyrsio. Probabilistæ, sive Probabilioristæ (sunt autem omnes, excepto Fagnano) docent, licere Confessario absolvere pœnitentem sequentem oppositam, velint, nolint, hoc dicere debent, ut latè probavi *disp. 23. sect. 4.*

N. 96. Contra 2. quia tantum abest, ut aliquis ex citatis à P. Thyrsio Theologis cum eo conveniat, quin convenire non potest. Nam P. Thyrsius vult quòd operans teneatur, antequam operetur, directè assentiri ipsi opinio-

ni tamquam veræ, & quidem iudicio firmo, fixo, & determinato: alii autem omnes hoc negant; immò apertè docent repugnare, ut iudicium, etsi probabilius, sit firmum de veritate, quin est prorsus incertum de illà, & ideo, ut certitudinem habeant de non peccato in tali opere, recurrunt ad iudicium reflexum, quod censent certum, de licito usu opinionis certò probabilis, aut probabilioris, illudque putant necessarium, antequam quis operetur. Accedit, tum quod omnes DD. citati affirmant simultatem certæ probabilitatis, æqualis, aut inæqualis, respectu ejusdem intellectus, in utraque opinione contradictoriâ, cum hoc autem minime fiat, ut quis opinionem sibi probabiliorē iudicet firmiter veram, cum videat motiva opposita esse magni momenti: tum quod omnes sciant, quod ex opinionibus probabilioribus contradicentibus, tot sint falsæ, quot veræ: quo ergo jure poterit quis iudicare firmiter veram, opinionem sibi probabiliorē; & poterit non formidare prudenter de falsitate ejusdem, sicut iudicat opinionem oppositam aliis probabiliorē esse falsam? Sanè omnes DD. citati non adeo eximè de propriis opinionibus, nec adeo demissè de oppositis sentiebant, ut suas firmiter veras, alias firmiter falsas censerent; quin saltem prudenter timebant falsitatem in propriis opinionibus: non enim firmiter credunt se semper verum, & oppositos DD. temper falsum dicere; se nunquam errare, oppositos semper aberrare.

Contra 3. quia descendendo singillatim ad N. præcipuos ex DD. citatis, (otiosum enim est, si omnes revolvam) P. Suar. apertissime suadet omnes revolvam) P. Suar. apertissime ostendit stinet oppositum, ut multipliciter ostendi *disp. 23. sect. 1. & 2. & disp. 24. sect. 1. & 2.* immò in ejus sapientiâ fundavimus, quidquid docuimus; & ipse eximius Doctor omnem prudentiæ apicem refundit in suspensionem iudicii directi, etsi probabilioris. Adde quòd *Tomo de Censuris*, quem P. Thyrsius allegat, idem P. Suar. relatâ duplici sententiâ, nostram sequitur assecurando conscientiam speculativè directè dubiam de irregularitate per purum dictamen reflexum de non existentia legis, suspensio omni protus directo de existentia, & non existentia irregularitatis. Idem expressius adhuc constat ex *Tomo de Legibus l. c.* ubi querit, an cum Superior conveniri non potest, liceat uti epicheia ex probabili iudicio; & n. 6. respondet: Censetur sententiam Caietani, & Scoti det: Censetur sententiam Caietani, & Scoti esse practicè certam, ut quando Superior conveniri non potest, liceat ex probabili sententiâ, aut iudicio epicheia uti; quod fufè

fuse probat: ergo P. Suar. evidenter opponitur P. Thyrio.

N. 98. Accedit, quod cum P. Suar. affirmet licitum usum minus probabilis, & simul neget intellectum posse directe assentiri minus probabili, eo ipso dicere non potest, quod iudicium directum de opinionis veritate sit semper necessarium, ut licet operer; nam, juxta P. Suar. implicat iudicium directum de veritate minus probabilis: ergo ut quis licite sequatur minus probabilem, satis est, juxta P. Suar. iudicium reflexum de licito usu minus tutæ minus probabilis, suspensio omni directo: ergo etiam satis est solum reflexum certum de objectivâ probabilitate veritatis opinionis, suspensio omni directo.

P. Bard. Idem dico de P. Bardi, qui quoque negat intellectum posse physicè assentiri minus probabili; & simul tueri licitum usum illius.

N. 99. De P. Scildere est prorsus exploratum, (quamvis Probabiliorista sit) eum expressè docere, quod ad operandum satis sit solum iudicium certum reflexum de objectivâ probabilitate veritatis opinionis, suspensio omni directo de veritate. Ejus formalia verba ex *tratt. 1. n. 9. & ex tr. 2. n. 14. pag. 70.*

suprà dedi *disp. 22. n. 152.* ait enim, quod ut actus sit probabiliter honestus, satis est, quod iudicetur esse talis, aut saltem, ut homo consideratus reflexè censet posse se rectè judicare, quod tale objectum (scu honestas) existat. Quod

verò P. D. Thyrius dicat, quod P. Scildere citet plures pro puncto, de quo modo disputamus, an satis sit solum iudicium reflexum de objectivâ probabilitate, aut probabilioritate opinionis, suspensio omni directo, videtur gratis dictum: quos enim P. Scildere *tr. 2. n. 25.* trahit, unicè docent, quod cum iudicio directo proprio de falsitate opinionis alienæ, non liceat illam sequi; hoc autem est toto Cælo diversum à puncto præsentis.

N. 100. De P. Valen. P. Sanch. P. Palao dico, certum esse, quod nostram doceant sententiam, eorumque formalia verba dedi *disp. 22. sect. 4. §. 1. ibid. legenda.* Immo *disp. 21. sect. 1. §. 1.* ostendi Adrianum nostram sententiam docuisse, quod satis sit iudicium de probabilitate; est enim Probabiliorista. Demum quod P. Terillus distet à nobis, & neget satis esse solum iudicium reflexum de probabilitate, aut probabilitate veritatis, puto non esse verum; nam *qu. 22. n. 40.* unicè ostendit, quod ut quis sequatur minus tutam, necesse sit, ut sit directe, aut reflexè probabilior; & hoc docuisse plures Antiquos. At hoc non est ad rem præsentem; hic enim queritur, an necesse sit, ut semper ad sit iudicium directum de veritate opinionis,

Tom. III.

juxta quam quis operatur. Dicere autem, quod necesse sit, ut opinio de licito usu, sive probabilioris, sive minus probabilis, debeat judicari vera, & probabilior, non est respondere puncto præsentis. Nam hoc secundum concedi potest, & adhuc negari, quod necessarium semper sit iudicium directum de veritate opinionis, ut quis juxta illam operetur: ergo quod trahitur ex P. Terillo non est ad rem præsentem.

Addo esse solè clarius quod P. Terillus nobiscum sentiat; tum quia ut certitudinem

non peccati tribuat conscientia operanti

juxta minus tutam magis aut minus, aut æquè probabilem, appellat ad iudicium reflexum de licito usu minus tutæ, magis, aut minus, aut æquè probabilis; quod iudicium reflexum supra sententiam asserentem licitum ejus usum, ait esse prorsus certum, & omnino necessarium: certum, quia putat certas esse præmissas, ex quibus inferitur, necessarium, quia sine eo non habetur conscientia certa de non peccato, dum juxta minus tutam, etsi probabilior, operatur. Ergo si P. Terillus duplex suum volumen de certitudine non peccati sequendo minus tutam, magis, minus, aut æquè probabilem, fundat in reflexione hujus sententiæ sibi certæ,

Licet minus tuta, æquè, magis, aut minus probabilis, nullatenus dici potest, quod fundet in necessitate iudicii directi subjectivè existentis, etsi probabilioris, cum semper sit incertum de non peccato. Quantum ergo distat asserens conscientiam certificari de non peccato per solum iudicium directum subjectivè probabilius de non peccato, à negante conscientiam certificari de non peccato per solum iudicium directum subjectivè probabilius de non peccato; sed unicè certificari à iudicio certo reflexo de licito usu minus tutæ probabilis, aut probabilioris, tantum P. Terillus distat à P. Thyrio; nam primum affirmat P. Thyrius; alterum P. Terillus: ergo P. Terillus dissentit prorsus à P. Thyrio. Demum accedat Lector ad *qu. 30. de Consc.* & videbit quod P. Terillus apertè doceat oppositum; nam in *Affert. 2.* ait: Semper licet operari contra propriam sententiam habitualement, si contraria sententia sit certò practice probabilis; immò aliquando licet contra propriam sententiam actualem, etsi illa aliquo modo affirmet objectum, quod eligatur, esse inhonestum.

Contra 4. quia duo inter se valde diversa confunduntur. Unum est, an ut quis sine peccato operetur, habere debeat certò verum de non peccato iudicium? Alterum, an ut quis sine peccato operetur, debeat judi-

Gg

care

care directè veram opinionem, juxta quam operatur? Primum affirmamus, alterum negamus; non enim ex primo sequitur secundum. Quando ergo DD. docent, requiri certo verum de non peccato iudicium, ne quis peccet, non ideo docent requiri iudicium de veritate directà opinionis, juxta quam quis operatur; satis enim est iudicium de veritate reflexà; id est, non ideo dicunt, quod teneatur quis directè assentiri, tamquam verè, ipsi opinioni, juxta quam operatur, & teneatur directè judicare, ut in se honestum ipsum objectum, & operationem, quam ponit; sed unice dicunt, necessarium esse aliquod iudicium certò verum, vel de non peccato, vel de honestà operatione, ita operando: sed sive ad sit hoc iudicium directum, etsi probabilis, *Licet pictura*, sive ad sit hoc reflexum evidens, *Probabilis est licere picturam*, adest iudicium de non peccato, aut de honestate formali, si non materiali, volitionis picturæ: ergo per hoc quòd DD. dicant, requiri certum de non peccato iudicium, ne peccem; non ideo dicunt, necessarium semper esse, ut ad sit iudicium directum de non peccato in tali actione.

N. Immo, si res attentè consideretur, in nullo iudicio directò, etsi probabiliori, adest nisi arbitraria certitudo de veritate speculativà non peccati, aut honestatis in tali opere: si autem ipsa probabilioritas subjectiva non peccati, juxta P. Thyr. satis est, suspensò omni iudicio reflexo de licito usu probabilioris, ut quis sine culpà operetur; longè magis satis erit ipsa sola probabilioritas non peccati reflexè evidenter cognita. Quid enim, quæso, facit, quòd ipsa affirmetur directè, aut quòd reflexè? Nam veritas non peccati in tali opere asserta per iudicium probabilis subjectivè existens, affirmatur quoque, etsi medià tantum, per iudicium reflexum evidens de probabilioritate ejus veritatis non peccati.

N. Confirmitur: quia ut quis licitè pingat die festo, vel necesse est, ut judicet eam opinionem esse certò veram; hoc autem per nullum iudicium, etsi probabilis, fieri potest; cum omne probabilis sit ex se indifferens, ut sit falsum: vel hoc necesse non est, sed satis ut probabilis judicet veram? Tunc autem satis quoque erit, ut quis reflexè judicet, esse certò probabilis, quòd sit vera; & suspendat directum de eà veritate iudicium. Etenim sive habeam hoc iudicium subjectivè probabilis, *Pictura licet*; sive habeam hoc reflexum objectivè evidens, *Probabilis est, quòd pictura liceat*, habeo iudicium sufficiens ad honestè operandum. Qui enim ita

discurrit: Licet sequi omnem certò practicè probabiliorem, aut probabilem; sed hæc opinio, *Licet die festo pictura*, est certo practicè probabilior, aut probabilis; ergo licet sequi hanc opinionem certò practicè probabiliorem, aut probabilem, *Licet die festo pictura*. Qui, inquam, ita discurrit, non affirmat in consequenti, quòd liceat pingere die festo, quæ est veritas directà; sed affirmat reflexè, quòd liceat pictura sub certà probabilitate, quòd sit licita, quæ est veritas reflexa. Ostendatur ergo nobis, quòd omnes DD. citati, dum dicunt, necessarium esse iudicium de veritate opinionis antiquam operemur, dicant necessarium esse iudicium directum de veritate directà ejus opinionis, nec satis esse reflexum de veritate reflexà, seu de certà probabilitate veritatis ejus opinionis.

S. II.

Reliqua.

SUMMARIUM

Arguit, quòd cum opinio sit regula applicandi primariam, debet putari vera, n. 105.

Hoc ipso quòd S. Thom. exigit, ut qui formam conscientiam ex propria scientià, nulla autem opinio sit scientià, ideo necesse semper erit iudicium reflexum de probabilitate, quia veritas est scientificum, n. 106.

S. Thom. non docet, quòd quis teneatur directè assentiri opinioni, n. 107.

Iudicium nostrum reflexum non applicat legem Dei directam, sed reflexam, n. 109.

Si per iudicium directum invincibiliter erroneum applicatur Dei lex directà, multo magis per scientificum reflexum lex Dei reflexa, ibid.

Arguit, quòd modus resolvendi, & dirigendi conscientiam per probabilitatem, non per veritatem opinionum opponatur S. Thom. n. 110.

Et quòd S. Thom. numquam teneat unam, præ alià opinionem, nisi prober esse veram, n. 111.

Et quia opinio probabilis est indifferens ad verum, & falsum, ad peccatum, & non peccatum, n. 112.

Dico, quòd si ex S. Thom. est periculosum ferre iudicium de opinionibus oppositis, quomodo obligamur ad directum in incertis iudiciis, n. 113. & 114.

Cum omne probabilis sit equè subjectum falsitati, ac veritati, suspendendum potius erit, immò non poterit esse regula secundaria applicans primariam objectivam, n. 115. 116.

117.

Argu.